Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0002-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0004-1

1705.

20a u. 20b Struvius, Burcardus Gotth.: De ruta Saxonica.
2 Exempl. 1705 u. 1725.

21. Struvius, Frid. Gottlieb: De herede defunctum non repraesentante

22. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Facult. med. decanus: Propempticon inaug.: De Lazaro ante portam II. (ad disputationem solemnem Erdpieli Dehnii invitat)

23. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Fac. med. decanus: Propempticon inaug.: De Lazaro ante portam (ad disputationem solemnem Christiani Lentii invitat).

24. Wedelius, Georgius Wolffgangus: De ~~ipecp~~ ipecacuanha Americana, et Germanica.

25. Weissenborn, Johannes Fridericus: An existimationis ac vitae eadem est habenda ratio?

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0005-7

1705.

26. Wildvogel, Christ: De fide hosti a privato data servanda.

27 a,b,c Wildvogelius, Christianus: De oblationibus, quae fiunt in ecclesia per sacculum sonantem. . .
3 Exempl. 1705 u. 1751.

28 a–b Wildvogelius, Christianus: De jure principis eminenti circa postas. 2 Exempl. 1705 u. 1755

29 a–b Wildvogelius, Christ: De tribus sententiis conformibus . . . . 2 Exempl. 1705 u. 1760.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0006-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0007-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0008-4

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII IN Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ DECANI,

h. t. *PRO-RECTORIS,*

Propemticon Inaugurale

DE

LAZARO ANTE PORTAM II.

IENÆ,
Literis KREBSIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0009-3

I. N. I.

VT morbus Lazari ante portam luſtrari intimius geſtit, quampluribus enim morbis vlcera ſunt communia; ita in ſpecie huc apprime applicandus videtur εἰλεὸς αἱματίτης, *voluulus ſanguineus* dictus *Hippocrati l. de intern. affect. c. 49.* ſpecies affectus hypochondriaci, vel ſcorbuti potius confirmati, ignoratus pleriſque vel præteritus, qui ex praxi illum dignoſcere & curare neglexere.

Enimuero ratum eſt, ex doctrina laudati *diuini Senis*, non vnum ipſi eſſe ileum, ſed plures generalius. Locus claſſicus eſt, *l. de flatib. c. 14.* τῶν δὲ ἄλλων ἀῤῥωστημάτων, ὁκόσοι μὲν ἂν εἰλεοὶ εἶσιν, ἢ εἰλήματα, ἢ στρόφοι, ἢ ἕτερα ἀποστηρίγματα, φύσας εἶναι αἴτια, ἅπασιν ἡγέομαι φανερὸν εἶναι. *Porro ſunt aliquæ aliæ infirmitates, vtpote voluuli, agitationes inteſtinorum, tormina aliaque obſtacula: quod autem horum omnium flatus ſint cauſæ, nemini non puto manifeſtum eſſe.*

Ileus ergo ipſi notat quoſuis dolores inteſtinorum, non ſolum ilei καῖ' ἐξοχὴν nomine venientes, ſed & hodie colicos dictos, quin imo, neque enim quicquam obſtat, ipſos hypochondriacos, quippe qui affectus eſt φυσώδης communiſſimus, & ſcorbuticos, flatuoſos ſcilicet cumprimis, hinc & humoribus, tanquam mineris, diſtinctos.

Liceat nobis pauperrimo huic & piiſſimo Lazaro aſſignare ileum hunc ſanguineum *Coi.* Cum enim recenſuiſſet voluulos trium generum, *pituitoſum c. 47.* quamuis re ipſa magis, quam verbis talem deſcribat: *bilioſum*, ἰκτερώδη, quandoquidem nemo dubitat, bilem in ictero delinquere, & eminere, tertio loco *ſanguineum*, αἱματίτην nominat & recenſet, *melancholicum* vero vel minus addit, vel ſub morbo craſſo potius comprehendit.

Satis nobis fuerit, ſcorbutum eſſe vlcerum chronicorum fabrum præcipuum, & duo potiſſima phænomena maxime quadrare huic morbo, magno ſatis, Lazari vlceroſi. Quod enim reliqua minus huc referamus, facit ſacri textus compendium, qui dum vlcera dicit, omnia refert & com-

plectitur. Interim non abludit analogia quoque. Facile horum gnarus conceſſerit, potuiſſe illo in ſtatu adeſſe ἐκ τοῦ ςόματος κακὸν ὄζειν, *ex ore fœtorem*, a dentibus, & gingiuas abſceſſiſſe, & a naribus effluxiſſe ſanguinem, vnde videtur dictus ipſi ileus ſeu voluulus ſanguineus, vt diximus. Tacemus & colorem nigricantem, & cutim tenuem, ibidem tactam. Duo cumprimis apprime huc quadrant, eaque præcipua: Ex cruribus, *inquit*, aliquando etiam vlcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt. Eſt autem, *addit*, ad deambulandum ac laborandum non promptus, vt corporis infirmitas & membrorum ἀδυναμία innuatur. Idem in Lazari hiſtoria ad oculum patet.

Non diffitendum quidem, non paucas editiones omiſſa particula negatiua ὀ, *non*, contrarium potius innuere, eſſe tales ægros voluuloſos προθύμους, *alacres* ad agendum; aſt & rei id repugnat, & curatioribus aliis exemplaribus. Habent voluuli hi tres quædam communia, quædam propria Inter illa ſunt flatus, color mutatus in corpore toto, crura grauia, laſſitudo, reſpiratio difficilis, adeoque ad labores ſegnities, torpor & imbecillitas, deficiente robore virium. Si itaque ileus ſanguineus, vt expreſſis verbis innuit autor, reliqua eadem patitur cum prioribus, excepta cauſali & graduali differentia, tantum abeſt, vt ad labores & motum corporis adſit alacritas, vt potius & huic cacochymia inferat neceſſario laſſitudinem.

Quod vero vlcera concernit Lazari ſpecialius, non obſtat. pluribus partibus hinc inde in corpore obtingere potuiſſe; ſeorſim autem ἡλκωμένος videtur quoad pedes. Etenim cum decumberet, ſine dubio minus nudus, ſed ſtola ordinaria, ſeu lacero potius centone indutus, præterquam pedibus, canes hoſce potius quam alias partes vlceribus ſcatentes delinxiſſe putandi veniunt.

Et verum quidem eſt, vlcera egere abſterſione, linctus vero canum id præſtare potuiſſe; minus tamen contactum ferunt aſperiorem, vnde vix dubitauerim, quin moleſtus idem fuerit, ſaltim cum gratia illa & ſolamine viſo, vel ap-

parente. Textus ipſe ſacer huic ſententiæ fauere videtur, quando inſit; ἀλλὰ καὶ, *ſed &* canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Ex quo fluere videtur, minus gratum fuiſſe hunc aduentum, quamuis nullo lædendi animo accederent, ſed in ſolamen potius vel quaſi miſeri homuncionis. Nulla quippe tangebantur miſericordia, nihilominus obuia lingentes vlcera, vltra ſphæram fere commiſerantium, hoc ipſo nolentes volentes moleſti tamen.

Omnibus hiſce pondus addidit, non tam miſeriæ, quam morbo maxime, quod eſſet *famelicus*, carens victu & amictu debito, derelictus quaſi ab omnibus, vſus diæta inordinata, miſera, vnde incrementum ſumpſere magis vlcera. Dici enim vix poteſt, quantum ad vlcera conferat victus tenuis, pauper, & ſordities ipſis mendicis. Inde enim vnctuoſæ & vliginoſæ exhalantes particulæ accumulantur, acrimoniam concipiunt, inhærent, non ſolum cutim defœdant, ſed & circa glandulas ſubcutaneas ſtagnant, rodunt, exedunt, & ſic vlcera varia, & illa non pauca, gignunt. Quin imo tota maſſa ſanguinea ſalina, acida, muriatica ſpicula, cum vliginoſa putrilagine lymphæ remixta, vbertim eo caſu concipit, & in extimam ſuperficiem deſpumatur.

Non mirandum hinc eſt, quod, vt pergit *Cous*, ἄυτη ἡ νοῦσος δέεται πολλῆς ἰήσιος, *hic morbus multa medela opus habet*, vt chronicus vtpote, rebellis, contumax, δυσκίνητος, *difficillime mobilis.* εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἐξέρχεται. *Sin minus*, (niſi multa medela tractetur, non niſi generoſis remediis expugnandus,) *non diſcedit*, ἀλλὰ συναποθνήσκει τῷ ἀνθρώπῳ, *ſed cum homine commoritur.*

Idem & Lazaro pientiſſimo accidit. Nullus aderat medicus, nullum vnguentum vel balſamum ex Gilead ſuppetebat, vel ſuppeditabatur, conflictari cogebatur cum fame, frigore, & iniuriis aeris aliis, cum morbo, non ſibi ſufficiebat natura, non canum, etiamſi moleſtus, linctus, συναποθνήσκων *commoriens* erat morbus, malumque non niſi cum morte ceſſaturum.

Adeo-

Adeoque non erat ſanitas in carne & corpore eius, *Pſ.38. v.4.* non pax oſſibus, putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices eius, morbus erat vniuerſalis quoad totam maſſam ſanguineam, quoad vlcera maxime in pedibus, ſordida illa, fœtentia, producta a cacochymia ſcorbutica, a putrilagine lymphæ muriatica & roſiua, a fermento corruptiuo, inficiente lympham nutritiam ſubinde appellentem.

Imo ſi *Saluianum Maſſilienſem* audiamus, *l.3. contr. auarit. p. 115.* fuerint vlcera hæc verminoſa quoque. Ne enim tangamus, dari, qui omnia vlcera ab animata putredine deducunt, ſatis fuerit, coniungi illam omnino potuiſſe. Ita vero *Saluianus:* Lazarum, *inquit*, diues contempſerat, qui in pure ac ſanie computruerat; cuius fœtorem ac ſqualorem longe refugerat, qui membrorum ſuorum vlceribus canes pauerat, quem ſcatentes vermium globi etiam intra receſſus pereſi corporis exararant; vbi & plura habet.

Augebant hæc omnia diuitis auaritia, ſuperbia, ſordities, immiſericordia, quot verba, tot vitia, tot flagitia. An vero tu ſolus ignorabas Lazarum ad portam? tu hoſpes in domo tua verſabaris. Tuæ peregrinabantur aures? neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſabantur? vt cum *Tullio* loquamur.

Non incongruum hinc fuerit, luſtrare breuiter etiam Lazarum ad portam comparate. Diues ille erat, hic pauper, & cum inedia conflictatus. Quis ille fuerit, non placuit Spiritui Sancto enunciare. Neque enim dignus erat, vt nomen ſciatur. Hic vero Lazarus erat, meliore conditione in ſua egeſtate dignus.

Fuerit ſane ille ſi non Rex, Herodiana ex familia, ſaltim tamen regius non infimus miniſter. Non apud alios quærenda fuerint partim veſtimenta talia, partim luxuries & viuendi modus. Age, inquit Saluator *Matth.11.v.8.* quid exiiſtis, vt videretis? num hominem mollibus veſtibus amictum. Ecce *οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν, qui mollia geſtant, in domibus Regum ſunt.* Et

quis mage diues fuerit rege, iunčta vna potentia & maieſta-te, iunčta pompa? Purpura Regum, Poeta canebat.

Extant & apud profanos ſcriptores de his teſtimonia, quibus non immorabimur. Vnicum locum iam laudabimus ſaltim *Luciani in muſca encomio*; ὅσον, *inquit*, τῆς ἑλληνικῆς ἐσθῆτος ἡ ἰνδικὴ λεπτοτέρα καὶ μαλακοτέρα, *quanto Græca veſte tenuior & mollior eſt Indica. Tom. I. Oper. p. m. 823.*

Aſt non byſſinis ſolum veſtibus ſplendor inerat, ſed &, quod apud *Plutarchum* Paryſatis, Cyri & Artaxerxis mater, eum, qui libere cum rege colloqui vellet, byſſinis iubebat vti verbis, hic quoque fiebat, omnia molliter, omnia delicate, cuncta ad nutum erant & exprompta.

Procumbebat pauper Lazarus ad portam, diues in aula & palatio fulgentiſſimo, vbi omnia erant ſplendida, pompoſa, nitida, auro, argento, marmore, deliciis fœta. Satur erat diues, καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, *quotidie* in multam vſque noctem viuebat *ſplendide*, maximo cum numero ad nutum heri obſequorum miniſtrorum. Pauper famelicus, nec micas accipiebat, quæ canibus, de menſa deciduæ, cedebant. Solus hic iacebat, non niſi canum conſortio lætus, vel ab illis quoque moleſtiam capiens.

Veſtitus diuitis erat regius, laudatus, pauperis indumenta vix lanea, vel lintea obtrita, centonis inſtar conſuta, mutila, lacera, & vix obtegentia corpus, ne nudum quoad bonam partem, ſaltim pedum, dicamus. Ille vero expendi paulo alia occaſione ſeorſim meretur.

Sed mutata ſedes Lazari viſenda verbo reſtat. Pro extima portæ ſede in ſinu ſemper & complexu Abrahæ gaudet, mechanica analogia deſumpta a gremio matris, teſte materni amoris, eoque indiuulſo. Eleganter hoc *Camerarius* notat *Figur. N. T. in cap. 1. Iohannis*: Norunt Græci, *ait*, in ſacris literis κόλπον ſignificare ſæpe τὸ ἀχώριστον, i. e. *inſeparabile.* Acquieuit ergo Lazarus in fidei conſtantia promiſſorum Abrahamo.

Pro ſociis canibus, Angelorum vehiculo, commercio, fami-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0014-7

familiaritate delibuitur. Loco famis & ſitis nectare & ambroſia, ſi illa huc applicare fas eſt, vel æternis potius fruitur gaudiis, & lætiſſimo ac quietiſſimo animo deſpicit mundana, ipſumque ad tartara detruſum diuitem impœnitentem atque immiſericordem.

Præmittere hæc voluimus, occaſione Diſſertationis Inauguralis de ARDORE VENTRICVLI Clariſſimi & digniſſimi artis Medicæ Candidati,

ERDFRIED DEHNE.

Natus is eſt Grünbergæ, Miſniæ pago, Anno Chriſti MDCLXXIX. D. IX. Aprilis, Patre Admodum Reuerendo & Clariſſimo JOHANNE THEOPHILO DEHNEN, Paſtore Grünbergenſi & Heyersdorffenſi, Matre ANNA MARIA, ex familia HVTHIORVM oriunda.

Horum Parentum prima cura omnino fuit, vt, cum annis creſcentibus, & pietatis, & bonarum literarum fundamenta inſtillanda curarent, quod ſtrenue priuatim fecit IACOBVS GRELLERVS, p. t. Subſtitutus Diaconi Schmœllenſis.

Adulto magis ingenii robore in Lyceo Altenburgenſi inclyto commiſſus fuit præceptoribus fideliſſimis, Clariſſimisque, M. SAMVELI GROSSERO, t. t. Gymnaſii illius, iam vero Görlicenſis Rectori, qui per biennium ſumma cura ſibi limandum expoliendumque traditum erudiuit. Idem non minori cura præſtitere D. IOHANNES CHRISTOPHORVS WENZELIVS, Director, M. FRIDERICVS FRISIVS, CON-RECTOR, M. IOH. CHRISTIANVS STERNIVS, t. t. Sub-Conrector, & BARTHOLOMÆVS DETTENBORNIVS, t. t. Lector, iam Eccleſiæ Coſmenſis optime meritus Paſtor.

Hinc illorum ſuaſu Anno MDCCI. d. III. Septembr. ad almam hanc Salanam miſſus, ſtudio Philoſophico & medico alacriter animum applicuit, in vtroque celeberrimos & Excellentiſſimos ſectatus Doctores. In Logicis, Ethicis, Politicis, Metaphyſicis, atque phyſicis manuductorem habuit IOHANNEM PHILIPPVM TREVNERVM, S. S. Theol. D. & Logicæ ac Metaphyſices Profeſſorem meritiſſimum, in Mathematicis & Phyſicis IOHANNEM GVILIELMVM BAIERVM, t. t. Adiun-

iunctum Facultatis Philoſophicæ, hodie Profeſſorem vtriusque diſciplinæ in Academia Altorffina.

In medicæ artis fundamentis ex venerandi Facultatis Noſtræ Senioris, D. RVDOLFFI GVILIELMI CRAVSII, Hereditarii in Mellingen / Prax. & Chim. Profeſſoris, eruditiſſimis diſcurſibus, ac Collegio de humoribus, & de Methodo curandi ſpeciali inſigne incrementum profectuum cepit.

In Anatomicis, Chirurgicis ac Botanicis maximopere ſe obſtrictum profitetur manuductioni dexterrimæ D. IOHANNIS HADRIANI SLEVOGTII, Hereditarii in Ober-Roßla/ in proſectionibus cadauerum humanorum publicis, & brutorum priuatis, in horto medico & ſyluis ſpectator, auditor & comes indefeſſus.

Audiuit quoque non ſine fructu prælectiones publicas D. ERNESTI HENRICI WEDELII, in aphoriſmos Hippocratis, & Affectus muliebres.

Cumque ipſe in teſtimonium vocet laudatiſſimorum ſtudiorum, per vniuerſum fere ambitum artis vſus eſt noſtra informatione in theoria non minus ac praxi, nulla ad fœnerandam acceſſionem profectuum neglecta occaſione.

Quare bono cum Deo iuſſus a venerando Parente, ſtudiis feliciter tractatis coronidem imponere, & honores debitos, tanquam laborum præmium, capeſſere, modeſte eo nomine admiſſionem a gratioſa Facultate expetiit, & ob cognitam atque probatam ſufficientem peritiam ex merito impetrauit.

Cum itaque, ſub præſidio CRAVSIANO ad D. XXV. Nou. habiturus ſit laudatam Diſp. ſolennem, ad hanc panegyrin Sereniſſimum iuuentutis Principem, ERNESTVM AVGVSTVM, Ducem Saxoniæ, & reliqua, illuſtriſſimos Comites, Proceres Aulæ & Academiæ excellentiſſimos, omnium ordinum Hoſpites & Commilitones honoratiſſimos, humillime, decentisſime ac obſeruanter oro, & inuito. P. P. ſub Sigillo Facultatis. Ienæ A. D. XXII. Nou. M DCC V.

(L. S.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0017-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0018-0

Jena, Diss., 1705 St-Z

ULB Halle 3
005 360 749

TA → OC

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0020-9

1705, 22
4

VOLFFGANGI
DELII,

I IN Schwartza/

CTORIS, COMITIS

SERENISSIMORVM SAXO-

LIARII ET ARCHIATRI,

ROFESSORIS ORDI-

NARII,

TIS MEDICÆ

CANI,

-*RECTORIS*,

on Inaugurale

DE

NTE PORTAM II.

E N Æ,

KREBSIANIS.

1705

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-344199-p0021-5